


# HONORATI IOANNIS VLZINAE, RHETORICAE ET GRAE-

carum litterarum in academia Valentina professoris,  
Oratio funebris in laudem Hieronymi Moncadae, Archi-  
diaconi Saguntini, Canonici, et Gymnasiarchi Valent.

HABITA IN EADEM ACADEMIA VALENT.  
IDIB. SEPTEMBR. ANNI M D XCIII.

Ad illustriss. et excell. D. D. Franciscum Moncadam  
Marchionem Aytonae, et c. Proregem Valent.



VALENTIAE, APVD PHILIPPVM MEY.  
M D XCIV.

IN TVMVLVM PERILLVSTR. VIRI  
D. HIERONYMI MONCADAЕ, ACADEM.  
VALENT. QVONDAM PRAEFECTI:

Quo die ipsius funus ab Schola instauratum est.

---

**C**onditur hic iuuenis, Moncadae clara propago,  
Quo felix genitor, sancta q. mater erat:  
Vllo nec magis vniquam se iactauit alumno  
Filia docta Iouis, Pieridumve chorus:  
Quem sacra viderunt redimitum tempora lauro,  
Turia, quae Nymphae ferta tulere tuae,  
Doctorum in medio sophiae secreta docentem,  
Et Stagiritae dogmata firma senis.  
Culta Valentini stupet illum turba Lycei;  
Mirantur proceres, concio tota fauet:  
Doctores laeti celebrant, omnesq. precantur  
Gymnasio tali praeside posse frui.  
Annuit optatis superi dominator Olympi,  
Musarum regnis ipse q. iura dedit.  
Hunc immaturi rapuit vis effera fati,  
Saecula qui Pylii vincere dignus erat.  
Ah dolor, interiit iuuenis, spes fida parentum,  
Qui Musis portus, perfugium q. fuit.  
Ipsarum tamen auxilio post funera viues,  
Et grati officii munera grata feres.  
Insignis virtus te carum reddidit illis,  
Haec post fata manet, cetera mors adimit.  
Haec tibi iam caelum referat, terrisq. relictum  
Angorem gemitus, ora q. maesta docent.  
Sic tibi supremi luctu instaurantur honores;  
Hic queritur, dolet hic, hic stupet, ille gemit.  
Par erat vt cuncti lamentis namq. vacarent  
Quis fructum virtus attulit ante tua.  
Hanc etiam nunc suspiciens, qua saepe lenata,  
Extremo decorat munere grata Schola.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLEN. D.

D. FRANCISCO MONCADAE, MARCH.


AYTONAE, PROREGI VALENT.

Honoratus Ioannes Vlzina S.P.D.



VAE verba mihi, Excell. Prorex, partim iustissimus de obitu perillustr. Hieronymi Moncadae filii tui dolor; partim maximus meus erga illam amor, aut potius pietas, superioribus diebus expresserat; ea litteris consignata, tibi dicere visum est: ut quemadmodum ex filii tui morte vita orta est nominis mei, quod sepultum in tenebris antea latebat; sic lucubratio haec tui nominis illustrata splendore, vigeat, atque hominum sermonibus alatur: et quae suo merito ad posteritatis commendationem minus fuisset ponderis habitura, excell. tuo, ac filii tui consecrata nomini, legatur, laudetur, atq. omnium praedicatione celebretur. Quod si quae geniū habent monumēta, victura diu sunt; meus hic septem elucubratus vigilis labor (tantisper enim temporis ex quotidiano docendi penso huic scribendae orationiculae impendi) duplici genio, utroq. felicissimo, tāquam duobus Atlantibus sustentatus, immortalitatem sibi iure optimo potest polliceri. Neque verendum est, ne ingratum tibi huius orationis argumentum futurum sit, de morte nimirum filii tui; cum ipse fortissimi imperatoris in morem, et durissimis iam probati casibus, grauissimo hoc vulnere accepto, atq. illo vteumq. obligato, ne exiguo quidē gemitu edito, quasi id alii, non tibi contigisset, ceteris absterferis laerymas; atque illorum dolori, mirifico diuinæ fortitudinis, et post hominum memoriam numquam auditaē exemplo, medicinam feceris. Intellexisti scilicet, datum tibi Dei opt. et max. munere filium fuisse, qui breui interiturus, talis fuerit, qualis diuturni temporis, et vitae vsura effici potuisset; ideoq. minus de illius morte dolendum, quod eius vitae breuitas innumeris fuerit virtutum, et litterarum ornamentis, et amplissimorum honorum insignibus compensata. Illius igitur virtutum imaginem a me adumbratam tantum, a doctioribus et eloquentioribus viris, viuis coloribus illustrandam, si beneuolo animo acceperis; efficies, ut haec vox, quae in confertissima corona, doctissimorum hominum adstante frequentia, filii tui defleuit interitum; eadem hilarior atque festiuior, felicioribus et tuis, et eorum qui tibi supersunt, celebrandis euentibus seruiat. Vale. Valentiae, prid. cal. Octobr. M D XCIII.

HONORATI IOANNIS VLZINAE  
VALENTINI ORATIO FVNEBRIS IN LAVDEM  
Hieronymi Moncadae Archidiaconi Saguntini,  
Canonici, et Gymnasiarchi Valent.

ERIVS fortasse quam oportuisset, R.A.D.E.A.O. iustum, ac debitum Hieronymo Mōcadae officium persoluimus. atque utinam serius oportuisset: non in hoc tam acerbo luctu, ac lacrymis versaremur. Quae in re id ipsum nobis, quod fulminis ictu percussis, aut graui aliquo vulnere nec opinato sauciatis, videtur contigisse: qui primū stupentibus similes, viuantne, an vita functi sint, dubitant; deinde vero ubi refrixit dolor, ac sensus conualuere, in maximos gemitus, ac fletus erumpunt. sic Valentina Academia Hieronymi Mōcadae immatura morte, subito veluti casu, ac ruina oppressa, vna cum ipso concidisse videbatur; atque idem tumulus qui illius corpus contexerat, huius etiam nomen, et dignitatem obruisse: nunc autē quae diu intolerando afflicta dolore, exanimata iacuerat, exsurgit vt suam vicem doleat, vt orbitatem suā defleat, vt repetitis suspiriis, ac eiulatio. suam ipsa sortem, ac miseram vitae condicionem lamentetur, quae tam illustri Gymnasiarcho orbata, tam nobili patrono destituta, veteris dignitatis, ac fortunarum suarum miserandum naufragium timet. Merito igitur lacrymis in tam iusto dolore oculi omnium madent, merito grauiissimi Doctores squalent, bonarum artium studiosi omnes afflicti, et tam benefici ac salutaris Rectoris desiderio torquentur. Sed in communi omnium maerore, et luctu mihi hae doloris partes datae sunt, vt illius recensendis laudibus. quantum ornamentorum suorum omnium Academia nostra iacturam fecerit, cognoscamus. Neque vero facile mihi, aut procliuē est, grauissimum hoc meis humeris a vobis impositum onus sustinere, nisi vos me singulari humanitate vestra subleuetis: neque exiguum, aut humile quod mihi mandatū est munus, cum id perpetuo grauissimis, et eloquentissimis hominibus deferri consueuerit. Periclem legimus, summum Athenis virum, primum apud Graecos fuisse, qui carmine, et naeniis, eos qui in bello Peloponnesiaco pro patria occubissent, celebrarit. Veteri cōsuetudine receptum apud Galatas fuit, vt in celebri funeris pompa, et defuncti propinquis qui grādiōrior natus esset, is elegant  
ti et

ti et copiosa oratione, illius egregia dicta, illustriores actiones, et quid-  
quid praeclarum in vita gesserat, recēseret. Indi supremo magistratui  
id dabant munus, vt anteaētam mortui vitam, moresq. describeret,  
quo ceteri ad eius sectanda vestigia excitarentur. Apud Romanos  
gētium victores, non viri fortes solum vita functi, sed etiam feminae,  
ob aurum Camilli tempore ad redimendum populum a matronis  
collatum, laudabantur. itaq. Popilia prima a Crasso filio laudata fer-  
tur. Valerius Publicola mortuo Bruto ipsius laudes accurata oratio-  
ne persecutus fuit. P. Scipionem, vt alios praeteream, in extremo  
rogo Fabius Maximus vt diuinum virum, atq. deorū dono in terras  
delapsū, commēdauit. Quod si mihi tanta facultas adesset ingenii,  
atque orationis copia, quanta iis quos dixi clarissimorum hominum  
laudatoribus fuit; vererer tamē, ne eius de quo dicturus sum, laudum  
splendore, et magnitudine opprimerer: quod huius dignitas et ampli-  
tudo, vt solis radii minorum siderum lucem, sic ceterorum decora  
videatur obscurare: nunc cum tanto illis inferior sim, vt neq. aucto-  
ritate, neq. eloquentia sim cum aliquo illorum comparandus, quāto  
mihi metuēdum magis est, ne tanto oneri victus succumbam? a quo  
me et mei ingenii tenuitas, et eius de quo dicendum est, dignitas me-  
rito retardabat; quin et angustiae temporis, quod mihi ad meditan-  
dum perexiguū fuit datum. Vicit tamen haec omnia singularis meus  
in Hieronymum Moncadam amor; vicit imperium tuum, Gymna-  
siarche amplissime, cui non libenter obtemperare, nefas fuisset; vicit  
volūtas vestra, Doctores clariss. quorum auctoritatem aspernari, im-  
piū visum esset. Vestris itaq. auspiciis in hoc Hier. Moncadae lau-  
dū pelagus ingrediar, humanitatis vestrae, ac beneuolentiae aura pla-  
cide meis conatibus aspirāte. Sed cum sese mihi latissimus ad dicen-  
dum aperiat cāpus, vnde primum orationis initium sumam, aut quā  
ineam viam? Maiorū titulos, proauorum decora, gētilitia stemmata,  
regiam Moncadarum stirpem commendabo? At hic vnus locus tam  
amplus est, vt ad eum pro dignitate tractandū vix cuiusquam, vel elo-  
quentissimi hominis, facultas futura par sit. nam Moncadarum rebus  
et bello, et pace summa cū laude gestis, clarissimi scriptores sua mo-  
numenta illustrarunt. plures enim hi victorias consecuti fuerunt, quā  
multi legere potuerunt: plures hi prouincias, ac regiones gubernarūt,  
quam multi pedibus suis lustrarunt. Quis enim tam ab hominū con-  
sortio remotus in terris locus, quis tam incultus et desertus angulus,  
quo non Moncadarū non modo nomen et fama, sed etiā triumpho,

est, videatur adamasse. Decet enim principes viros (quod Graecorum Poëtarum princeps in suis illis heroibus commendat, quos passim et *θεοῖς ἐκέλεις*, et *ἑναλιγκίεις* vocat) Deo persimiles esse, rerum omnium auctori. at summus ille rerū effector Deus, trib. praecipue rebus nitet; immortalitate, qua aeternus est, ortusq. et interitus expers; potentia, qua cūcta solo nutu moderatur, ac regit; ac deniq. virtute, quae inter reliquas summae diuinitatis, ac maiestatis videtur. Inde beatissimum iudicamus Deum, quia immortalis est; nos vero miseros, quia mortales, fragiles, et caduci: illius potētiam metuimus, atq. horremus, quod terraemotus, quod fulmina, quod humanas motura tonitrua mētes, immittat; quod omnia, cum velit, in suum nihilum redigere possit: at praestantissimo omnium affectu amore, illius iustitiam, et bonitatem diuinā veneramur. quae cum ita sint, homines tamen potentiam praecipue, cuius maxime posita in fortuna vis est, et immortalitatem nominis affectant, quā sapientes omnes iure optimo contemnendā esse docent; virtutem, et iustitiam auersantur. At hic noster, vt Homero verbo vtar, populorum pastor, reip. Valentinae parens, veluti in theatro myriandro constitutus, quasi hae partes illi datae ad agendū essent, sic iustitiam, et aequitatē colit, vt quemadmodum apud Athenienses Aristides, sic is apud Valentinos, non Cerauni, id est fulminis, vt ille apud Aegyptios Ptolemaeus; non aquilae, aut accipitris, rapacissimarū auium, vt alii; sed iusti cognomen mereatur. Data huic diuino munere coniux est, sanctissima femina. date mihi hanc veniam auditores, vt illam hoc nomine appellem, quae in terris degēs, caelestium vitam imitatur; et ceterarū rerum spreta, et amādata cura, diuinarū tantum meditationi intenta, nihil aliud dies, noctesq. nisi de religionis, et pietatis studio cogitat, huic perpetuo inhaeret, ab eo se diuelli nūquam finit. Quot illi noctes in rerum diuinarū meditatione, cui tantum vacat, quantum a domesticarum rerum cura conceditur temporis, vigilatae? quanta interdum in templis, siue ad audiendas doctissimorum, et religiosissimorū hominum conciones, siue ad expiationem criminum, siue ad animum caelesti pabulo reficiendum, assiduitas? quam frequentia colloquia de diuinis reb. cum piis hominib. et probatae vitae feminis, non ficta et simulata specie ad fraudem, et dolum cōpositis (quales multas nostro saeculo vidimus) sed solidae, et verae virtutis ornamentis illustribus: quanta praeterea in domesticarū rerum gubernatione prudentia? quanta erga domesticos omnes humanitas? Morientis Alcestidis comitatem extollit Eurip. quae fa-

miliaribus omnib. benevolentiae ergo, extremum iam spiritum fundens porrigeret manus. at nostra haec Alceſtis viuēs fortiffima femina, manū ſuam aperit inopi, palmas ſuas extendit ad pauperē; aegrotis, ac ſaeui alicuius vi morbi implicatis, mederi omni ſtudio, diligentiaq. conatur, atq. in eos omne Chriſtiana femina dignae caritatis genus exercet. Notiora haec ſunt, quam vel vt mea cōmendatione indi-geant, vel vt ex ea re gratiam mihi videar aucupari. illud potius verendum eſt, ne dum diutius in exponēdis clariffimorum principum ornamentis moror, quibus detraxiſſe potius meae orationis tenuitate, quā aliquid affixiſſe putabor, tempus mihi effluat, quod Hier. Moncadae recensendis laudib. tranſmitti debuiffet. ſed horum, vt dixi, laudes ipſi cum illis cōmunes ſunt, eum in huius vita non adūbratae modo, ſed veris lineamentis, et viuīs expreſſae colorib. illorū virtutes reperiantur. Natus Barcinone in ampliſſima Tarraconēſis Hispaniae ciuitate Hieronymus Moncada eſt, quam merito et fortium viro-ū nutricem, et ſapientiffimorum, et conſtantiffimorū hominum procreatricē poſſumus appellare. quae cum et rei militaris gloria, et pacis artibus, ac immenſis opib. et diuitiis floreat, non minus tamen patriae Hier. Moncada, quam patria Hieronymo Moncadae ornamento fuit. cui ſi cetera defuiſſent, hoc ſatis amplū illius gloriae testimoniū fuiſſet, Hier. Moncadam primam in illa lucem aſpexiſſe. Sed mihi, vere dicam, aud. vetus Aegyptiorum maxime probatur conſuetudo, qui in defunctis laudādis nihil de illorum nobilitate, nihil de generis claritate, aut patriae ſplēdore dicebant; ne alienis quiſquam honorib. vt auium pennis ille in fabellis graculas, potius quam ſuis nitere videretur; vt lunam ferunt ſolis ſplēdore colluſtrari, et luce aliena lucere. ad propria igitur Hier. Moncadae ornamenta progrediamur. His parentibus natus, hos maiores adeptus, in tam nobili ciuitate ſuſceptus, cum vix primum balbutire incepiſſet, et verba formare didiciſſet, doctiſſimis praeceptorib. clariffimis morū formandorum magiſtris erudiendus eſt datus. neq. vero illis in ea re multum laboris impendendum fuit, cum ipſe diuina quadam ingenii acie magiſtrorum diſciplinam praecurreret, nihilq. ab illis acciperet, quod nō ante perceptum et cognitū habuiſſe videretur. iam ſi quid ediscendū eſſet, ita celeriter quidquid ſibi iniungeretur, arripiebat, vt euolaturum ſubito, atq. abiturum ex animo quod tam leui labore didicerat, videretur, ſed idē ita adhaeſerat, vt illud inſculptū atq. infixum in animo diuturno, et pertinaci labore putaretur. Stupebant magiſtri, cum illum feliciffime di-

stata reddentem audirent, atque eadem inter aequales ludibundum, quod pueri solent, summa cum venustate recitantem. Fuit enim in Hieron. Moncada, ut excellens ingenii decus, sic et oris venustas gratissima, et totius corporis habitus ita elegans, ut vere in pulcherrimo corpore pulcherrimus animus habitaret; gratiorque esset, quod a Poeta dictum est, pulchro veniens a corpore virtus. Quod cum sentiret Socrates humanae sapientiae terrestre oraculum, merito sibi probatissimae formae adulescentes, quos praeclaris studiis et moribus ad humanitatem conformaret, eligere consuevit. in hoc praeclaro domicilio virtutes omnes stabilem sibi sedem collocarunt, quae iam in tenera illa aetate, ut in seminibus. atque herbis fructuum et messis spes videbantur elucere. Naetus est iucundi puerilium studiorum laboris consortes et socios concordissimos fratres, hoc fratre dignissimos, Ioannem, Ludouicum, Ferdinandum, adulescentes ad summa quaeque et praeclara natos. cum his, patria relicta, Valentiam, ad celeberrimum nimirum bonarum artium emporium, eloquentiae et eruditionis comparandae causa venit. Aluit profecto semper clarissima ingenia Valeriana academia, doctissimos in omni scientiarum genere viros, eloquentissimos. Oratores: sed qui magistri eo tempore Hier. Moncadae contigerunt, illi quidem, si de Grammaticis loquar, cum Aristarcho, si de Oratorio. cum Demosthene facile Graecae eloquentiae principe, contendere potuissent. Atque in his primis studiis summa cum laude versabatur; fratres quos habebat carissimos, ut eorum excitaret industriam, ad declamandum, ad pangendum carmen, ad orationem conscribendam saepius prouocabat; a quibus cum se vinci cuperet, tam singulari in illos caritate erat, a nullo tamen unquam vincebatur. O praeclaram studiorum optimorum contentionem, in qua omni remota aut inuidiae, aut odii suspicione, accenduntur ad urgendum laborem qui victi sunt, victores vero ad retinendam semper assiduis vigiliis et lucubrationibus, quam semel adepti sunt gloriam, incitantur. His studiis magna cum hominum admiratione confectis, se ad Philosophiae studia Hier. Moncada contulit, non immature, non intempestive, ut plerumque solent, quae pectus multorum gymnasiolorum est, utinam ne ruina et interitus sit, cum pueri lactentes adhuc, et mammas appetentes, qui adhuc articulatim et distincte loqui non possint (proh scelus! tuam Gymnasium amplius vestram D. cl. fidem imploro) Philosophorum nomine gloriarentur: ut apte in haec tempora Aristandri Theodectis patris cadat querela, qui agmen itridens ingens Sophistarum, olim ait sapientes vix septem extitisse, nunc autem vix septem idiotas inueniri. Alter quidem Hier. Moncada, cum in his eloquentiae studiis tantum

profic-



profecisset, quātum vix quisquā ausus esset optare, Dialecticae operā dedit, illi inquā arti, veri, falsiq. disceptatrici, quae vna continet omnē et perspiciendi quid in quaq. re sit, scientiā; et iudicandi quale quidq. sit, et via, ac ratione disputandi. in qua breui rātum excelluit, vt facile de quauis re proposita probabili argumētatione differeret, quidquid vellet nullo negotio concluderet, sciret etiā quomodo mentientem dissolueret, quem pseudomenon vocant, aut quemadmodum sortiti resisteret, deniq. vt omnes sophistarū fallacias, et praestigias eluderet. Inde apertiore inuectus Oceano, Philosophicis studiis vela dedit, virum eruditissimū, atq. multarum litterarū doctorem nactus; in quib. nihil ita abstrusum erat, aut latens, quod non ipse studio et diligentia assequeretur; nullius rei ita recondita et ignota causa, quam non diligenti inuestigatione perquireret, vt eum merito optimum speculato rem, venatorēq. naturae possemus appellare: nihil vero cognouerat, quin id cum aliis cōmunicaret, vt et illos simul doctiores efficeret, et suas ipse facultates augetet. Suscipiunt enim incrementa maxima studia doctrinae, si quod didicimus, aliis impertiamur. Non illi in disputando rixosae concertationes, non clamosa vociferatio probabatur, qua stupidiores saepius vti solent, quos ego non Philosophos, id est sapiētiae studiosos; sed Philoposophos, id est strepitus amatores appello: qui de lana caprina, quod inquit Horatius, disceptantes, tamē caelū, terras, mariaq. confundunt: sed cum veritatis inueniendae studio, nō popularis aucupandae gloriolae, aut aduersarii conuincēdi, quod loquacium, et importunorū sophistarum vitium semper est habitū, disputationem institueret, inuenta illa, et eius diuina luce oborta, non aliter atque auari thesauro inuento, sibi gratulabatur, ac plaudebat: vt Archimedem ferunt inuēta quam quaerebat, appendendae coronae aureae ratione. Vidimus illum vna cū Ferdinando fratre alternis Logicas assertiones defendentem, firmissima argumenta doctissime refellētem, Herculeos nodos nullo negotio dissoluentem. vidimus illū cum confecto Philosophiae stadio, bonarū artium magistri honorē adipisci vellet, isti columnae, isti inquam adhaerētem columnae, mirros ingenii et eruditionis fructus ostentantē, astantes omnes non dicam in admirationem, sed prope in stuporem rapientem; cum adolescentē viderent, qui nondum ex ephebis excessisset, sic omnes Peripateticae disciplinae recessus tenentē, vt quod aliis in magistri Arist. libris obscurū et implicatū videbatur, id ipse facile expediret; et quae alii inuicta putabāt argumēta, et certa ratione conclusa, in aduersarii

sententiam ingeniosissime retorqueret. Vos, vos appello magistri artium bonarū qui adestis hoc nomine dignissimi, qui cū illo in arenā descēdistis, qui illius ingenii acumē singulare experti fuistis: vos aud. quorū pleriq. praeclaris illis disputationib. interfuistis: vos deniq. huius theatri parietes testes appello, qui illius doctissimis vocibus perfenuistis. Datus est ergo eius doctrinae meritis, non nobilitati, non gratiae, aut opib. honoris, quem quidem multi assequuntur, neq. tamen cum possunt cum dignitate sustinere. Quam pauci enim sunt qui encyclopaediam absoluerint, ex iis qui splendido illo nomine, et honorifico magistrorum tument? Grammaticam oderunt, quam ignorant; Rhetoricam quasi incesti dānatam detestantur, e Dialectica ineptas quasdā argutias, et meras nugas expiscātur, Mathematicas artes ne de nomine quidē nouerunt, et tamen magistrorum nomen non erubescunt, ceruicem iactant, erecti tota academia volitant, puleros demū se, ac beatos putāt. At hic noster liberaliū artiū magister sic in omnib. excellebat, vt in singulis perdiscendis totū tempus posuisse videretur. Obruor plane tot ac tantarū rerum magnitudine ac copia, et mihi ad alia video esse properandū. In ipso incuntis adolescentiae aditu Hieron. Moncada, quasi Hercules ille apud Prodicū in biuio constitutus, animo et cogitatione perspicuens; lubricas esse quasdam eius aetatis vias, quibus insistere, aut ingredi sine casu aliquo, aut prolapsione non posset, voluptatib. omnibus repudiatis, in quib. multi ex iis qui potentia et diuitiis florent, veluti immūdae sues in turpissimo coeno voluntantur, integritatē vitae, atq. innocentiam, religionē et pudicitia maxime adamauit. Intellexit nimirum se tum vere futurum Philosophū, cum eā, quam profitebatur Philosophiā, non verbis solū, atq. oratione, sed etiam morib. et praeclara vitae ad omnē virtutem conformatione praeferret. Vt enim, quod eloquētia Rom. parens inquit, si absurde canat is, qui se haberi velit Musicum, hoc turpior sit, quod in eo ipso peccet, cuius profitetur scientiā: sic Philosophus in ratione vitae peccans, hoc turpior est, quod in officio, cuius magister esse vult, labitur, artemq. vitae professus, delinquit in vita. Initiari igitur sacris quāprimum voluit, et humanarū rerum studio abiectō, caelestia tantū, et aeterna, ad quae sibi natus videbatur, intueri, quod cum non eo consilio fecisset, vt ea ratione perāplum aliquod sacerdotium venaretur: vt multos videmus ad sacra, tāquam ad auream messem accedere, et praedae tantū vt vultures inhiare, quo gulae, et somno liberius indulgeant, et belluarū, ad pastum tantū, et procreandi voluptatem natarū

vitam viuant: breui tamē propter diuina et immortalia merita, et maxima virtutum, ac litterarum, quibus illustris erat, ornamenta, Valēti-  
nae Sedis Canonicus, et Saguntinus Archidiaconus est renuntiatus. quibus in munerib. ita se gessit, vt nemo illo vel in sententia dicenda prudētior, vel in tenuis fortunae homines liberalior, vel in omnes hu-  
manior, ac benignior extiterit. nihil enim loquebatur, nihil agebat, quin prius aduocata in consilium ratione, et eadē accurate subducta, rerum momenta, non vulgari trutina, sed aurificis, quod aiunt, statera ponderaret: vt nullū verbū temere, aut inconsiderate ex oris claustris euolare sineret, nihil probaret quod non esset et cum honestate, et cū publica vtilitate coniunctum: sic vero cogitata animi exprimeret, vt ex eius ore nectare suauior flueret oratio. Iam quāta eius in pauperes liberalitas! vix census, mihi credite, sumptui pares erant. cū enim ipse opulentissime paternis facultatib. aleretur, quidquid ex datis sibi honorib. hauriebat cōmodi, id omne ad sustentandam hominū impotentium inopiā erogabat. Quid illa, humanitatemne appellem, an comitatem potius singularem, qua omnes qui se aut orandi aliquid, aut deprecandi causa adirent, excipiebat? nullius v̄mquā preces, aut postulata arroganter et fastidiose repudiavit. Inest enim interdū potentioribus hominib. fastus, sequiturq. potentiam et opes superbia intoleranda. noster vero Hieron. Moncada renidenti ore, placido vultu admittebat omnes, neminem vel tenuissimum excludebat, illo inquam vultu atq. ore, in quibus risus concinna quadam grauitate conditus perpetuo visēbatur; in quib. Gratiae, ac illa ipsa quae in Periclis labris sessitauisse quondam dicitur suadela, in quibus venustas, atq. lepores omnes, et suauitates residebant. Sed omnes omnium caritates ea vincit, qua in fratres, et sorores, viros, et feminas omni praedicatione maiores, felicissimā excell. Franc. Moncadae prolem, vtebatur. qui grandiores erant, Gastonem qui nūc Sardiniae pro rege est, (at bone Deus quātum, et quam excelsum virum!) et Hugonē, qui nuper religionis causa cum perfidis Britannis fortissime dimicans honestissime occubuit; Guiomaram antiquae probitatis matronam, merito Chiomarae illi Gallograecae, Ortiagontis vxori, a Plutarcho, et Polybio miris encomiis celebratae, anteferendam; Lucretiam, cuius virtutis ac pudicitiae laus maior est, quam vt breui debeat elogio cōmendari: hos in quā fratres summa obseruantia et veneratione prosequēbatur, in reliquos omnia ab illo officia proficiscebantur, ab eorum voluntate nūquā discedebat, ita vt in multis corporib. quod de Geryone traditur,

vnus tamen videretur animus habitare. Ac reliqui diuersa sunt studia secuti, vt Castorē ferunt equis, Pollucem palaestra delectatū. Ioannes Caesarei et Pontificii iuris scientia nobilis, Romae nunc est, debitos exantlatis a se in studiis laborib. amplissimos honores expectans: Ludouicus magno D. Ioannis militiae Magistro, cui ob excellentē virtutem ac merita est carissimus, ad cyathos astat: Ferdināus et Philosophiae, et vtriusq. Iuris, et Mathematicarū artium studiis clarissimus, in aula Philippi opt. et inuictiss. Regis, inter illius aulicos honorarios versatur. Hieronymus Moncada, aliis aliam vitae rationem secutis, apud nos mansit, vt quorum studiorum praeclara, et illustria iecerat fundamenta, iis velut inchoato operi, prope tamen absoluto tāquam fastigium imponeret. Cum igitur humaniorū disciplinarum cāpos, hinc inde libās flosculos, Matinae apud in morem, peruagatus fuisset, applicauit se deinde ad eā Philosophiam, qua diuinar. rerū cognitio continetur, ad quam iam inde a puero maxime propēdebat. in ea vero ita laborauit, vt D. Tho. Aquin. D. sanct. scripta, cuius doctrina, quod ad Theologiā disputatricem spectat, quam Scholasticā vocāt, merito in academiis praelata ceteris omnib. est, accuratissime teneret, et quidquid ad obscuriora explicanda vtriusq. et veteris, et recentioris instrumenti loca pertinebat, id non ex suo, sed ex Graecorū, et Latinorum sanctissimor. Patrū sensu didicisset. Ac D. Tho. discipulos probatissimos quosq. D. Domini familiae alūnos, ita adamabat, vt eū si quis quaereret, aut cum e tēplo maximo, diurno absoluto sacrarū precum cōcinendar. pēsō, excessisset, aut cum domo animi causa discessisset, nusquā alibi quam in coenobitarum Dominicanorū cubiculis liceret reperire. His tot ac tantis virtutum et litterarū ornamētis illustris, Valentini senatus decreto, Valentinae academiae Gymnasiarchi honore auctus est. anctamne potius academiae dignitatē dicam, hoc illi munere demādato? dicam ingenue, et quod res est, fatebor. Sederunt ad huius academiae gubernacula peritissimi multi, et exercitatissimi Rectores; sed quae in corū singulis virtutes enituerūt, in illo vno quasi in Pandora dolo coniuētas reperires. Quis ita perditis morib. fuit: Hier. Moncada Rectore, quin illius vel nutu, vel aspectu a scelere reuocaretur, atq. ad meliorem mētem rediret? quis ita diligenter studiis incubuit, quin suā ipse diligentiam ignauiam putaret, cū Hier. Mōcadae sedulitate collatam? quis adeo iners ac tardus, qui non illius exemplo permotus, labori se accingeret, vigilaret, lucubraret? In illo sibi probi omnes praemiū vigiliar. suarum locatū putabant, improbi illius seue-

ritatem in vindicādo horrebant. Itaq. neminem Hier. Moncada Re-  
ctore vidimus, quod saepe alias, qui bene natos adolescētulos ex aca-  
demia et foro ad meretriculas, ad pistorias popinas deduceret, ad istas  
inquam, gulae, libidinis, ac deniq. scelerū omnium officinas; ex quib.  
tāquam ex equo Troiano, adulteria, stupra, caedes etiam interdū exti-  
terunt. Deputatus deinde, qui est maximus apud Valentinos honos,  
rerum maximarum totius regni curae, et administrationi est. neq. mi-  
nus in hac, quam in ceteris sustinēdis prouinciis, illius prudētia eluxit.  
audiebant illū de grauissimis reb. ad ampliss. ordines referētem pro-  
uectiores aetate viri, qui et cōsilio, et auctoritate excellerēt, et tamē se  
ab illo vinci in deliberādo mirabātur. Persarū Regē quotidie summo  
mane qui huic muneri destinatus erat, a somno excitabat his verbis:  
*ἀνάστα ὦ βασιλεῦ, καὶ φρονίσιζε πραγμάτων, ἃν σὲ φρονίσιζεν ὁ μεσορομάσδης  
ἠθέλησεν.* Exurge Rex, et ea negotia cura, quorum te curam gerere vo-  
luit Mesoromasdes. At Hier. Moncadae animo sine villo alio monito-  
re ea incubabat cōmissarum sibi rerum cura, quae ipsum quiescere nō  
sineret; quae moneret, non oportere totā noctem dormire principes  
viros, sed somno partim, partim iis rebus prouidendis quae agenda  
interdiu essent, transigēdam. Additurus iam erat his tot honorum ti-  
tulis Theologi Doctoris lauream, se iam certamini ac pugnae parau-  
erat, qui iamdiu illo honore dignissimus erat. Sed o miserā humanae  
vitae conditionem! o fallaces spes! o caduca, et incerta consilia! Dum  
haec Hier. Mōcada cogitat, grauissimo oppressus morbo est, cui nulla  
doctissimor. Medicorū ars, et de illius salute plus quam de sua sollici-  
torum, mederi potuit: ardētissima febris cum maximis exanthematis,  
exitiosa succedēte gangraena, correptus interiit. Siccine ille indelibat-  
us nostrae ciuitatis, et academiae flos emarcuit in ipso aetatis flore?  
Siccine ille, cuius in vultu, tāquam in tutissimo portu, omniū spes, et  
solatium cōquiescebat, in ipso portu studior. suorum naufragiū fecit?  
Siccine ille, cuius vita vt reip. fructuosissima, sic lōgissima esse debue-  
rat, immatura morte sublatus est; cum nos inutilia terrae pondera vi-  
uamus? Accusasse Theophrastus naturā dicitur, quod ceruis, et corni-  
cibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset; hominib. quorū  
maxime interfuisset, tam exiguā vitam dedisset. quorū si aetas potuis-  
set esse lōgiquior, futurū fuisse, vt omnib. perfectis artibus, omni do-  
ctrina hominū vita erudiretur. querebatur igitur se tum cū illa videre  
posset, extingui. nobis quidē, nam impium esset, naturā accusare non  
licet: sed quantū putamus futurū Hier. Moncadam fuisse, si diuturnior  
illi

illi lucis vsura cōtigisset? Qualem excellentiss. principes filiū amisiſtis! qualē fratrem concordissimi, qui hinc longe abestis, fratres! qualē Canonici Valētini Canonicum! qualē Saguntini Archidiaconum! qualē Doctores, et ceteri qui adestis, Gymnasiarchum! qualē miseri oēs, atq. inopes benefactorē amisiſtis! Vix consolabilis hic dolor est. Quo vos par est, excell. princ. Hier. Moncadae parētes, (vos enim saepius, quos maxime tangit hic dolor, absentes tāquam praesentes alloquor) quo vos inquā par est maerore vexari, hac tāta iniecta plaga? Nuper excell. Pror. illustrissimi generi tui Hier. Corellae, viri immortalitate digniss. funus extuleras; vix nunc obortas ob Hugonis Mōcadae filiū tui interitum absterſeras lacrymas; nunc hic tertius, atq. omniū maximus additus tibi est dolor. Quam egregia fortitudine, quā magno animo eum esse credendū est; qui tam patiēter tot calamitates acceperit, qui inuictō adeo animo tot miseros casus pertulerit? L. Aemil. Paullū procos. proditum memoriae est, ex quattuor filiis formae insignis quos habebat, egregiae indolis duos amisiſſe: quorū alter triumphum patris funere suo quartū ante diē praecessit, alter in triūphali curru cōspectus post diē tertiuū expirauit. quem dolorē quo animo sustinuerit, illa eius orationis, quā de rebus a se gestis ad populū habuit, verba declarant: Cū in maximo prouētū felicitatis nostrae Quir. timerē, ne quid mali fortuna moliretur, Iouē opt. max. Iunonem reginā, et Mineruam precatus sum, vt si aduersū quid pop. R. immineret, totū in meam domū cōuerteretur. quapropter bene se res habet: annuēdo enim votis meis id egerunt, vt vos potius meū casum doleatis, quam ego vestro ingemiscerē. Id ipsum excell. Protegē nostrū sensisse, credēdum est. Imminēbat forte huic vrbi ob ea scelera, quib. diuinā quotidie in nos iracūdiā prouocamus, certū exitū: id igitur in familiam tuā Prorex excell. redundauit. publicā vtilitatem, et cōmoda priuatis semper cōmodis praetulisti. sed publicum hoc cōmodum erat, Hier. Moncadā vivere, publicae vtilitati natū. nostrum igitur damnū, orbitatem nostrā, ac solitudinē defleamus: suam illi beatitatem nō inuideamus. Excessit ille ex tenebris, nos in illis relictī sumus: ille aeterna circūfusus est diuinæ sapientiae luce, nos crassa ignorantiae caligine, et errorū nebula septi sumus: nos cōsiliū inopes et egeni, ille caelestium cōsiliorū thesauris fruitur: nos per speculū in aenigmate, at ille facie ad faciē diuinās res, atq. Deum ipsum aeternā felicitatem cōtemplatur. Quid enim aliud de Hier. Mōcada credendū est? qui dum viueret, non hominum, sed spirituū beator. vitam vixit; moriens, tam pie ac sancte extremū vitae

actū peregit, vt dubitandum non sit, quin ille, quemadmodum ii qui legitime certarūt, immortalitatis sit corona donatus. ita enim ille mortuus est, si tamē mori is potuit, cui merces aeterna vita sit data; vt gratulatione potius, quā misericordia, illius mortē prosequi debeamus. Didicerat ille toto vitae cursu nihil aliud quam mori, vt vere Philosophus esset, egregius scilicet mortis mediator. itaq. id vnū cogitabat, id agebat, vt optime viuens, felicissime moreretur. frequētissime cum valeret, expiabat crimina; saepius diuina sacrae Eucharistiae mysteria frequentabat, et caelestib. epulis intererat. hoc ipsum fecit cū in morbum incidit, id ipsum morti proximus praestitit, iam de discessu cogitans, et corporis vinculis liberāndus. Euolauit ad superos felix ac beata anima, nos in maerore ac orbitate reliquit. Sed nō illi immatura contigit mors, qui tam breui tēpore tot fuerat honorib. functus, tot viderat res, tot legerat, tot audierat. Immaturā Consuli negabat M. Cicero posse mortem accidere. quid adolescenti tot, ac tam illustrib. muneribus cohonestato? Immerito Theophraste querebare, tā rapide haec dati nobis temporis spatia decurrere: immerito Medicorum maxime Hippocrates, vitam breuem esse, artem vero lōgam exclamabas. satis enim longa vel breuissima vita est, si tota bene collocetur: non enim quae tempora per somnum, per otium, et libidinem perdimus, annumeranda sunt vitae. Multi ad extremā senectutem peruenerunt, et tamen quantulū tempus vixerunt? Vixit satis diu Hier. Moncada, si non naturae, at gloriae; quae in hominū mentib. perpetuo viuet, quae nullis saeculorum finibus terminabitur. Superstites excell. Pror. filii sunt, qui eius possint orbitatem consolari; nepotes, qui nunc iam maximā de se spem in hominum animis cōcitarunt. Nobis etiam immortalī P. I. beneficio datus est Gymnasiarchus vir integerrimus Franciscus Barberius, eximius Theol. Doctōr, dignissimus plane qui Hier. Moncadae succederet, qua vna laude quotquot sunt omnes continentur. atque vt aurifera illa apud Maronem arbor, in qua vno auulso aureo ramo, alter illico nascebatur; sic nostra academia Hieronymo Moncada sublato, hunc nacta alium Gymnasiarchum est: qui vtinam quae praeclare cogitat, ad academiae salutem perficere possit. nam vt modo principia se dant, non dubito quin magnorum commodorum auctor nobis futurus sit. Dixi.